





12944. Disputatio Politica

De

1611

MUNIMENTIS REI-

PUBLICÆ,

Quam,

42.

D. O. M. A.

*Consensu Ampliss. Facultatis Philosophicæ,*

IN ILLUSTRIBUS WITTEBERGÆ,

SUB PRÆSIDIO

M. SIGISMUNDI EVENI

Navena-Marchici, Facultatis Philosophicæ  
Adjuncti,

*Publicè discutiendam proponit*

BENEDICTVS CARPZOVIVS

WITTEBERGENSIS,

*In Collegio Philosophorum,*

*Ad diem 9. Novembr. horis à 6. matutinis.*

WITTEBERGÆ,

*Ex officina typographica Martini Henckelij, Anno*

M. D. C. XI.

100  
Diplomatisches  
MUNICIPALITÄTS

42

D. O. ...  
Conseil ...

M. S. G. ...

RECHTS ...

IN ...



## T H E S I S I.



**I**N ANIMATA Reipublica Adminicula non minùs sunt necessaria, quàm Animata; à quibus ut à sua causa producuntur, & constituuntur, & dicuntur *Munimenta*, quod Respublica illis quasi muniatur, & defendatur ab injuria.

2. Inter quæ *Leges primum sibi vindicare videntur locum*, ut quæ magis sunt necessaria quàm moenia. *Tholoz. lib. 10. c.*

2. §. 3. Sunt veluti *Oculi in Republica Novell. 195.* Anima & Spiritus civitatis, *Cic. pro cluent; Mutus Magistratus Cas. lib. 4. c. 8.* Sine his enim nec Domus ulla, nec Civitas, nec Gens, nec hominum universum genus stare potest, *inquit Cic. 3. de lb.*

3. Nec Rempublicam sine Legib. consistere posse quiscquam affirmabit; Cum & Poenæ & Præmia, hisce cessantibus. sint conquietura, cum tamen non facile remitti poenâ publicè intersit, ne ad maleficia temerè quisquam profiliat, ut *Politici ac Icti* hinc inde testantur.

4. Quamvis autem quidam de Legibus vel ut Instrumentis ad Reipublicæ directionem necessariis tractent seorsim, vel cum Reipublicæ forma easdem jungant: Tamen non incommodè hoc loco de iis ante munimentorum reliquorum explicationem agi posse existimamus.

5. *Legem* definit Aristor. Quod sit *Oratio ex mente & prudentia profecta, quæ cogendi vim habet.*

6. Hanc plurimi à *Delectu* appellatam esse volunt, ut *Cic. 1. de lb.* alij à *Legendo* nomen habere autumant, quoni-

Quæst. I.  
Unde sint,  
& quam habeat præstati-  
tiam Munimenta Rei-  
publicæ?

Qu. II.  
Quodnam  
Munimentū  
Reip. prima-  
rium?

Qu. III.  
Ubi in Poli-  
ticis de Le-  
gib. sit agen-  
dum?

Qu. IV.  
quid sit Lex?

Qu. V.  
Unde Nomē  
Legis?

am Legislatores olim leges suas æneis tabulis incisas parieti affigebant ut à populo legerentur, quod vult Isidorus.

7. Nos Legem à ligando dictam esse malumus tanquam à suo fine, quia vim habet obligandi, & cogendi homines, ad facienda ea, quæ alioquin negligenter.

8. Quod & veritati magis consentaneum esse videtur; Cum multæ sint constitutiones, quæ nomen Legum merentur, nec tamen tabulis incisæ, aut chartis inscriptæ, ita ut à populo legi possint.

Qu. VI.  
An Scriptura de essentia Legis?

9. Aliàs absurdum sequeretur, Scripturam nempe de Substantia esse legum; Id quod nos negamus; Lacedæmonios enim etiam habuisse Leges, quis negatum ibit? Cum tamen in Scriptura nunquam fuerint redactæ, ut dicitur in §. & non inleganter. 10. Inst. d. Jur. Nat. Gent. & Civil.

10. Quamvis non diffiteamur, Scripturam ad Legis formam requiri, quatenus Jus scriptum inspicimus, quia Scriptura specifica est differentia, qua lex à consuetudine distinguitur ut loquuntur Icti.

11. Ut autem ordinè de LL. dicamus, primò causas constitutionis LL inspicemus, postea ad earum divisionem progrediemur.

Qu. VII.  
Quæ Legis causa efficiens?

12. Causa efficiens Legis sunt Legislatores seu Viri sapientes, generaliter & breviter eam comprehendentes.

Qu. VIII.  
Quibus de rebus ferantur leges?

12. Objectum de quo Leges feruntur, sunt Res contingentes, seu mutabiles; Non præteritæ aut præsentis, sed futuræ l. leges 7. C. de lb.

14. Neq; minutissima quæque leges confectantur aut quæ fortè uno aliquo eveniunt casu aut bis, aut quæ ἐν τῷ αἰετῷ accidunt l. 3. ff. de lib. Sed quæ ἐπὶ τῷ πλείονι evenire solent, & in commune sine complexu personarum rerumq; certarū spectant ad omnes l. jura 8 ff. de l. i. possunt. 12 ff. eod.

15. Forma Legis est Prudentia, & rectæ rationis Prescriptum,

ptum, quo Lex animatur, ut Lex sit & dici possit; Nam Lex sine ratione instituta nihil est aliud, quam homo sine Anima; Rectè igitur Ratio Anima Legis dicitur, *argument. l. scire 16. ff. de lb. c. sedulo distinct. 38.*

16. Nec obstat, quod *omnium LL non possit reddi ratio*; Nec subtiliter in LL jã latas inquirendū esse moneant lcti.

17. Licet enim in omnibus Legibus ratio illa non sit obvia, nullam tamen exinde fuisse dici non potest, cum certa aliqua & probabili de causa, magnaq; deliberatione, Leges à majoribus nostris sint institutæ *Vvesenb. in paral. ff. de lb. n. 5.*

18. Hæc Legis forma videtur requirere, ut *Leges in scripturam redigantur*, quò Cives meliorem possint earum habere notitiam, quamvis, ut dictum, Scriptura non ad essentiam Legis sit necessaria *Schönb. lib. 3. c. 4.*

19. Item ut *Lex sit brevis* quo facilius ab Imperitis teneatur *Idem Schönb. de loco.*

20. Ut item *Leges equitate instituantur*; Aequitas enim ornat Imperium, conservat Rempublicam totam gubernat vitam l. Arian. ff. de obligat. & act. l. 14. §. 15. ff. de relig. & sumpt. fun.

21. Restat *LL Causa finalis*, quam definitio nobis suppeditat: Hæc autem est *Coactio seu Retentio hominum in officio*; Quæ in aliis magis, in aliis minus est necessaria.

22. Unde vel ad *Conscientiam obligant. l. leges. C. de lb. tot. tit. de jur. & fact. ignor. Vel ad obedientiam l. divus 7. de jur. patr. Felinus in c. 3. n. 5. de jurejur. Vel ad Poenam l. 2 ff. de lb. Vvesenb. in paral. ff. eod. n. 7. Attestante etiam Apostolo Rom. 13. v. 3.*

23. *Nec tamen omnes obligant*: Cum n. Princeps sit supra Leges, & omnē condendarū, interpretandarū, & abrogandarum legum habeat potestatem l. 1. & ult. C. de lb. sequitur,

Quæst. IX.  
An omnium  
LL possit  
reddi ratio?

Quæst. X.  
Quæ Legum  
conditiones?

Quæst. XI.  
Quis LL. sit  
finis?

Qu. XII.  
An Princeps  
obligetur  
legibus?

quitur, quod earum observatione non teneatur, *l. princeps*  
*31. ff. de lb. l. 3. C. de test. l. 23. de legat. 3. Everard. Bronchoist,*  
*centur. 1. assert. 6. Schönb. lib. 3. c. 5. Etiam si Legibus, sicuti*  
*par est, vivat §. f. inst. quib. mod. test. inf.*

24. Et hæc de Constitutione Legum; *Progredimur*  
*nunc ad divisionem.*

Quæst. XIII.  
Quotupli-  
ces sint Le-  
ges?

25. *Leges aut sunt Divina, aut Humana; Ille à supremo*  
*Legislatore; Hæ vero ab Hominibus latæ sunt.*

26. *Leges humane aut fundamentum concernunt Regni,*  
*ut sunt, Leges de successione & electione; Vel ejus Admi-*  
*nistrationem, ut sunt, Leges reliquæ, secundum quas omnia*  
*in Imperio constituuntur.*

Quæst. XIV.  
Quæ Legū  
accidentia?

27. *Accidunt Legi Interpretatio & Mutatio.*  
28. *Interpretatio est, qua sensus alicujus Legis explana-*  
*tur secundum sententiam benigniorem, & ad leges priores*  
*accommodatam.*

Quæst. XV.  
Interpreta-  
tio LL. quo-  
modo insti-  
tuenda?

29. *Benignior enim semper præferenda sententia. l. 18.*  
*l. 25. ff. de lb. Et melius est de Misericordia, quam de severi-*  
*tate reddere rationem.*

30. *Maximè autem Cura proportionis in Legum Inter-*  
*pretatione debet haberi, ne Proportio Arithmetica in Pœ-*  
*nis, Geometrica contra in Contractibus, seu Conventioni-*  
*bus observetur.*

Quæst. XVI  
Qualis pro-  
portio in le-  
gib. earum-  
que interpre-  
tatione at-  
tendenda?

31. *Sed ut æqualis publicarum rerum omnium, mune-*  
*rum, præmiorum, pœnarum &c. inter personas, pro cujus-*  
*que merito, congruentia, & dignitate servetur distributio,*  
*l. ult. C. de stat. & imag.*

Quæst. XVII.  
Quid Legū  
Mutatio?

32. *Mutatio Legum fit, cum Leges semel positæ, sua*  
*quidem nituntur vetustate, sed aliquid infructuosi conti-*  
*nent, Schönb. lib. 3. c. 9.*

33. *Nam si verum est: Salus populi suprema Lex esto: Cic.*  
*l. de lb. Quisnam negabit, Leges posse mutari? Cùm nemi-*  
*ni hominum æquitas tam absolutè sit nota, ut tales leges*



fanciat, in quibus nihil expoliendum, & emendandum ullo  
successu temporis sit relictum.

34. Licet autem quam plurimi putent, mutationem  
Legum nullo modo esse approbandam, cum Legum con-  
fusionem introducat, & exinde homines leges vilipendere  
incipiant, in qua sententia est *Schönb. lib. 3. c. 9.*

35. Affirmativæ tamen sententiæ assentiri malumus ob  
eam potissimum causam, quod Leges inserviant hominum  
usibus; Qui uti varii sunt, ita varias etiam exposcunt Leges.

36. Quam tamen *mutationem non semper licitam* existi-  
mamus, Sed rarò, scilicet necessitate urgente esse institu-  
endam: Nunquam enim Leges mutandæ, nisi summa uti-  
litas aut necessitas postulet *inquit Lips. lib. 4. c. 9.*

37. *Prudenter ergo ac sensim mutatio est instituenda*, his  
cautionibus observatis: 1. Ut *precedat diuturna consul-*  
*tatio & consensus.* 2. Ut *veterum Legum habeatur ratio.* 3. Ut  
*Mutatio accommodetur ad mores & Gentis consuetudines il-*  
*las, quas homo mutare non potest.* *Keck. in curs. philos. disp.*  
*3. q. 2. Cas. Sph. Civ. lib. 2. c. 6*

38. Et *hæc de Legibus* ut *Muris civitatis tractasse* suffici-  
at; Nunc ad *reliquorum Munimentorum* explicationem ac-  
cedimus, & breviter ac ordine ea ponderanda suscipimus.

39. Hæc autem pro Subditorum diversitate dispeſcuntur  
*in Domestica & Peregrina. Illa vicissim in Sacra & Profana.*

40. *Sacra* autem attenduntur *vel respectu Originis*, cu-  
jus ratione sunt *Schola Triviales & Academia*, Officinæ studi-  
orum, in quibus omnium facultatum Fundamenta ab eru-  
ditissimis hominibus summa fidelitate docentur; Quibus  
honestæ Salaria pro labore, & privilegia immunitatis con-  
cedenda sunt.

41. *Vel respectu constitutionis*, cujus ratione occurrit *Ec-*  
*clesia*, in qua attenduntur *Officia & Bona. Officia Ecclesie* ordi-  
nantur & constituuntur per *ius Patronatus.* 42. Quod

Qu. XIX.  
An mutare  
Leges licitum?

Qu. XIX.  
Quomodo  
mutatio Le-  
gum insti-  
tuenda?

Qu. XX.  
Munimenta  
proprie di-  
cta quatuor-  
plicia?

Q. XXI.  
Quid Jus Pa-  
ronatus?

Qu. XXII.  
Sepultura u-  
bi & quomo-  
do instituen-  
da, & an cui  
quam dene-  
ganda?

Qu. XXIII.  
An Unitas  
in Repub.  
simpliciter  
necessaria?

Qu. XXIV.  
Quid profa-  
na Munis-  
menta &  
quæ in illis  
spectanda?

Qu. XXV.  
Quomodo  
Tributa exi-  
genda?

Qu. XXVI.  
Et postre-  
ma, Quid in  
peregrinis  
Munimen-  
tis, seu foede-  
ribus obser-  
vandum?

42. Quod est Potestas præsentandi instituendum ad be-  
neficium vacans, Schönb. *latius de hoc lib. 4. c. 1.*

43. Inter hæc officia *Sepultura* etiam recensetur, quæ est  
corporis de mortui in Terrâ, ex quâ erat sumptû, reconditio.

44. Hæc ut in loco separato honestè & absq; pōpa splēdidi-  
ore institui, ita nulli simpliciter cōsiderata denegari debet.

45. *Bona Ecclesia* legitimis modis augenda & conser-  
vanda ad usus in Ecclesia pios & necessarios.

46. Er hîc consideranda venit *Religio*; Cujus unitas quo-  
ad fieri potest, procuranda; Interim si non fieri potest, Di-  
versitas potius permittenda & Respublica qualis qualis  
conservanda, quàm funditus evertenda.

47. Et hæc *Sacra* erāt munimēta: *Profana* sūt, quæ extra Ec-  
clesiã attenduntur, in quib. spectatur *conservatio* & *Auctio*.

48. *Conservatio* præsentibus, ne detrimenti aliquid pa-  
tiantur, prospicit; Et pacem atq; Salutem Reipublicæ tue-  
tur, dum violatores ejus Banno cobibet.

49. *Auctio Munimentorum Profanorum in Opibus* spe-  
ctatur *Colligendis aut Collectis*.

50. *Colliguntur Opes* mediis legitimis, veluti *exactione Tri-  
butorum*, quæ cum Nervi sint Reipublicæ l. 1. §. 20. ff. de *quæst.*  
modicè de rebus honestis pro Regni bono sunt exigenda.

51. *In Opibus Collectis* Fiscus locum habet seu Aerarium  
publicum, in cujus administratione veræ causæ & usus legi-  
imus est observandus.

52. *Et hæc de Munimentis Domesticis. In peregrinis Fœde-  
ra* seu pacta præcipuè sunt observanda, quæ cum Regnis pe-  
regrinis Pacis & Salutis publicæ gratia solent iniri.

53. Quæ ne temerè instituantur, Fides primum omni-  
um contrahentium nota esse debet, nè damnum, sed Salus  
Reipublicæ ex iis proveniat.

54. *Et tantum de Reipublicæ Munimentis.*

F I N I S.

Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011





SB

VD17

Retrokonv,







1611  
 POLITICA  
 ANTIS REI.  
 CÆ,  
 42.  
 M. A.  
 ultatis Philosophica,  
 WITTEBERGA,  
 RESIDIO  
 NDI EVENI  
 cultatis Philosophi-  
 ncti,  
 dam proponit  
 CARPZOVIVS  
 GENSIS,  
 losophorum,  
 horis à 6. matutinis.  
 ERGÆ,  
 Martini Henckely, Anno  
 XI.

